

F.R. 65.

X 292077 D

Z e  
190

# ORATIO PANEGLYRICA,

quam  
in  
memoriam  
OPTIMI quondam THEOLOGI;

VIRI ANDICAM  
SUMME-REVERENDI, MAGNIFICI ATQUE  
EXCELLENTISSIMI

# DN. JOHANNIS CHRISTFRIDI SAGITTARII,

SS. Theologiæ Doctoris celeberrimi,  
per Ducatum Altenburgicum Superintendentis Generalis  
Vigilantissimi,

Supremi Aulæ Concionatoris,  
&

Sancti Synedrii Assessoris Specatissimi,  
de

# ECCLESIA CHRISTI & LITERARUM STUDIIS EGREGIE MERITI,


X. Cal. Martii M DC XCIV.

in

primario illustris Palæopyrgici Acroaterio  
habuit

M. Joh. Müller / Eccl. Altenb. Diac.

ALTERNBURGI, Literis Richterianis.



VIRI

inlyti generis splendore,  
illustrium dignatum excellentia,  
eminentissimo rerum gestarum decore,  
egregia virtutum gloria,  
multiplicis doctrinæ laudibus  
maxime conspicui,

MÆCENATES, PATRONI,  
COLLEGÆ, FAUTORES, AMICI,

omni observantiæ cultu & officiorum promptitudine  
prosequendi,

Tuque florentissimi Lycei nostri pubes,  
ad res egregias nata,  
spes patriæ lectissima,



Uod in Scholaistica campaream ca-  
thedra, qvam Supremi NUMINIS jussu cum  
Ecclesiæ commutavi suggestibus, nemini mirum videbitur,  
qui non detrectet perpendere, quam ingens ad conatum il-  
lum me adigat necessitas. Qvinquennii spatum est cla-  
psum, qvod de re Ecclesiastica pariter & literaria optime  
meritus, Vir Summe-Reverendus, Magnificus atque Ex-  
cellentissimus, Dn. JOH. CHRISTFRIDUS SAGIT-

TIUS, SS. Theol. Doctor, per hunc Ducatum Superintendens Generalis,  
Aulæ Ecclesiastes primarius, & Hagio-Synedrii Assessor celeberrimus, vitæ mu-  
neribus laudabiliter finitis, ex hac mortalitate discederet. Beneficiorum igitur ab  
illo in me profectorum non immemor, singulari flagrabit cupiditate sanctis illius  
manibus, in publica eruditorum concione, gratæ mentis edendi testimonium.  
Quo istis exposito, quos superstites deseruerat propinquæ cognatione conjun-  
ctos, eligebat tempus ad ea præparanda, quæ proposito huic maxime necessaria  
judicabam. Qvod cum appropinquaret, istius persequendi fiducia penitus exci-  
debam. Siquidem magna pertinaciam morborum vehementia opinione cele-  
rius & diutius me ita enervabat, ut singulis laboribus, illis etiam, quos demandatæ  
Spartæ conditio exigebat, impar fierem. Et quanquam recuperandæ sanitatis  
spes aliquoties apparebat; novarum tamen in me irruentium infirmitatum impe-  
tuiterum iterumque suffocabatur. Quam ob causam non potuit non desiderium  
meum multiplices tolerare remoras. Postquam vero, superatis DEI benignitate  
morborum discriminibus, in gratiam cum valetudine relibam, cupidò etiam vene-  
rabilis Sagittarii laudes celebrandi in animo meo cœpit reviviscere. Cujus rei  
studium suscepturus alias sentiebam difficultates, non mediocriter illud denuo  
turbantes. Arcana enim sanctissimæ TRINITATIS consilia Lycei hujus floren-  
tissimi moderamen præter omnem expectationem me jubebant relinquere, & Di-  
aco-

Obiit. XIX.  
Febr. 1689.

30

aconi in Ecclesia nostra obire provinciam. Qva Numinis voluntate cognita, nascebatur quidem opinio, qvod sub ipsum a Scholastico munere discessum commodior dicendi materia non posset eligi, qvam qvæ venerandi Sagittarii recoleret memoriam. Sed cum Serenissimi Patriæ Patris, Augustissimi FRIDERICI, obitus celerrimus eodem ferme tempore omnium civium animos graviter affligeret, cum pietate nihil habuisse commercii, nisi in cunctorum ob tanti Principis jacturam, tristitia sancto illius nomini gratæ mentis monumentum statuisse. Quod cum nullatenus possem intermittere, vana iterum reddebatur dicta animi mei sententia. In publico tamen virorum admirabilium confessu, quod promissi debito post breve spatium me vellem exolvere, firmiter asseverabam. Ab illo tempore qvo diligentius de fidei datæ complemento cogitavi, eo majora expertus sum sufflatmina, scilicet non negotiorum modo, quæ commissæ Spartæ administratio solet gignere, copiam, sed & ingentem istius rei magnitudinem, viribus meis longe superiorem. Hominum, magna æris alieni multitudine qui obstringuntur, fui simillimus. Hi, perpetuis creditorum compellationibus si defatigantur, omnia se velle solvere, luculenter spondent; Verum illucescente hora solutioni destinata, excutunt loculos inanijs oppletos & araneis, atque nullibi inveniunt, quod poscentium desiderio respondeat. Parili modo inconsideratæ pollicitationis meæ temeritatem coargui, nullius curæ industria consequens, qvod isti posset sufficere. Occurrabant illinc immortali laude dignissima beati viri merita; hinc ingenii mei vires admodum exiguae. Inter qvas cogitationum ambiguities solicite fluctuans, inceptæ rei studium penitus abjecisse, nisi nova fiducia labascentem animi cupiditatem sustentasset. Humanam illa effingens vocem ita me alloqui videbatur: Qvousq; præstare dubitas, verbis qvod dudum ostendisti? Qware omittis, ad qvod te exacuit pietas, extimulat grati animi religio? Quid est, qvod Divi Sagittarii virtutes oratione non complectaris? Qvis metus a tam nobili officio te abstrahit? Neque rei dicendæ sublimitas, neq; imbecillitatis tuæ conscientia ab eo te revocet. In arduis qværenda est gloria. Non raro præclara tentantium tenuitatem mira successum beat felicitas. Virium defectui laudabilia efficiendi voluntas mederi solet. Enitere tantum, labora, contendere, conatus non erit frustraneus. Qvibus auditis, nova me incessit cupido non quiescendi prius, qvam omnia facta & transacta fuerint. Iisdemq; stimulis incitatus hanc cathedram concende-re audeo,

Optimi Theologi titulo beatum inclaruisse Praefulem, commemoraturus. Agite, Auditores venerandi, qua illum auscultastis olim facilitate, meum qvoq; de illo sermonem excipere ne dedignemini.

Qvomodo Theologi nomen aliquis sibi possit acquirere, multi docuerunt. Nemo tamen nervosius atq; melius, qvam Theander Lutherus id expressit, *Meditationem, Tentationem, Orationem* illius consequendi esse media, testatus. Iisdem qvoq; gradibus Nostrum ad suprema Theologicæ celsitudinis fastigia pervenisse, dispalescat et sequentibus. Per infusionis repentinæ miraculum nemo doctrinarum notitia imbuitur. Pentecostes solemnia non amplius illucescunt, quæ ruditum hominum animos cœlestium dogmatum lumine celeriter illustrent. Cura, labore, vigiliis opus est omnibus, qvi eruditionis laude nobilitari cupiunt. Sine meditatione multiplici nemini doctæ mentis fama potest obtingere. Hujus rei probe conscius fuit Sagittarius. Inde summam in colendis literis industriam a prima pueritia ad extremæ senectutis terminum adhibuit. Patriæ claritas ingenuæ juventutis animos egregiarum rerum desiderio solet accendere. Sicut enim in Scythica nati barbarie a soli sui feritate non deflectunt; & in sylvestribus locis pleni ruris & inficetiarum homines plerumq; procreantur; ita elegantiae studio non parum confert loci, in qvo lucem primo aspicimus, celebritas. Tam felici

esse

d. XXVIII.  
Sept.

esse licuit nostro Sagittario. Quid enim urbe illa est illustrius, qvæ isti prima concescit incunabula? Uratislavia est cum celeberrimis Germaniæ oppidis de principatu non injuria contendens, excellentissimorum virorum aut genitrix aut hospita. Illic cum in hanclucem anno hujus seculi decimo septimo venerit, qvis non videt, qvod simul virtutum igniculos atqve semina conceperit. Hæc præstantia fuerunt, quo nobilioribus prognatus est parentibus. Sola enim natalis terræ excellentia neminem reddit laudabilem. Dantur in urbibus florentissimis virtutum vitiorumqve confinia. Multi quidem laudatissimarum rerum administrationibus invigilant; complures tamen & turpi indormiunt socordiæ. Ex hisq*i* nascuntur, cum lacte statim materno malitiæ cupidinem imbibunt, per omnia vitæ tempora frugibus tantum consumendis idonei. Illis autem qvi debent originem, hæreditario quasi jure honestioris ingenii sunt participes. Perinde ut e lido fonte puri profluunt rivuli, bona ex radice boni progerminant rami, & arboris salubritatem fructuum refert præstantia. Fortes creantur fortibus. Noster de ortu felicissimo gratulari sibi potuit, Patrem nactus *Thomam Sagittarium*, Πολυίσθης celeberrimum, antea Jenensis Academiæ Professorem Publicum, postea autem Elisabethani Gymnasi apud Uratislavienses Directorem, cuius gloriam nulla unquam obliterabit oblivio. Complures eqvidem a Majorum laudibus degenerant, famam ab illis acceptam moribus collutulantes turpis simis. Noster autem a talium peste fuit remotissimus, nihil prius habens & antiquius, qvam ut in Dei honorem generisq*e* sui decus adolesceret. Quo splendidiiores ingenii dotes erat adeptus, eo feliciore progressu conamen illud procedebat. Illis enim qvi carent, multis in rebus frustraneam adhibent operam; certe non nisi variis vigiliis atq*e* sudoribus conseqvuntur, cuius alii nullo ferme negotiisibi comparant notitiam. In Nostrum profecto incredibilis naturæ benignitas plenis contulit manibus, qvicq*uod* laudabilem pignorum in thesauris suis possidet, non corporis tantum modulatissimi elegantiam, sed & ingenii pulcritudinem, qvam εὐφύια vocamus. Fuerunt, qvi omnia, qvæ vel legerint vel audiverint, retinendi facultate sunt gavisi, judicii autem defectu laborantes. Alii contra non adeo fideli memoriae custodia usi, tam accurata de omnibus rebus judicandi potentia fuere prædicti, ut nihil neq*e* dici neq*e* cogitari potuerit, in cuius caussas indolis sagacitate non penetraverint. Pauci admodum utraq*e* polluerunt potestate, non memoriae tantum, sed judicij etiam excellentia celebres. Qibus autem NUMINIS benignitate tam fortunatis esse licuit, nulla artium occurrit impervia, & ejusmodi contigit prædicatio, qvod ad haurienda omnia, qvorum qvidem cognitio in homines cadere potest, habiles & accommodi nati fuerint. Intalium numero Virorum sapientissimorum suffragia nostrum collocarunt Sagittarium; idq*e* non immerito. Quid enim ingenio ipsius fuit eleganter, qvid mente venustius, qvid memoria fidelius, qvid judicio accuratius? E pueri statim ætate tam egregiarum dotium emicuerunt igniculi, crescentibus annis indies majora capientes incrementa. Inde omnibus fuit acceptissimus, qvibuscunq*e* potuit innotescere. In his omnino commemorandus est Augustissimus *Augustus*, Dux Brunsvicensis atq*e* Luneburgensis, Princeps non mirificæ modo senectutis, sed & incredibilis sapientiæ gloria in universa Christianorum orbe celeberrimus. Ille aliquando Nostrum in viridi adolescentia præter opinionem Brunsvici conspiciens, secum in conclave suum duxit, de variis rebus, Latino utens sermone, cuius fuit peritisimus, rogavit, admiratusq*e* honestæ indolis singularitatem, erecti animi hilaritatem, vividi vultus ingenuitatem, concinni sermonis svavitatem, elegantioris modestiæ gravitatem, pecuniario qvodam munere exhibito, manuq*e* sua leniter admota istius capiti, dixit: *Tu clarus evades, magnus inserviturus Principibus.* O laudabile prudentissimi Principis de Sagittario nostro augurium! Cujus mentionem faciens Rodolphi Agri-

Agricolæ reminiscor, qvem Hermolaus Barbarus, immortale Venetorum decus, tali condecoravit epitaphio:

*In vita clauserunt hoc marmore fata Rodolphum*

*Agricolam, Frisi spemque decusque soli.*

*Scilicet, hoc vivo, meruit Germania, laudis*

*Zoistumq[ue] Quidq[ue] habet Latium, Græcia quidq[ue] habet.*

Iste in Hegii Scholam Davendriæ veniens cum aliquot adolescentum scripta considerasset, ceterisq[ue] Erasmi Roterodami, tum temporis in eodem viventis codiscipulatu, antetulisset, eum videre voluit; Qvem ad volantem fixis intuitus oculis, manuq[ue] illius capiti superimposita, hanc adjecit vocem: *Tu magnus eris.* Neq[ue] vana fuit ejusmodi divinatio, ceunemini non constat. Sicut autem non exigua laus inde in Erasmus est profecta; Ita & proposita laudatisimi Principis sententia non parvam Nostro existimationem attulit. Sed cui bono sunt eximiæ mentis pignora, si desint, qvi vigili ea studio expoliant? Nam ætatis etiam bonæ tenuitudo facile ad vitium trahitur, nisi provida magisteria lascivos ejus motus coercent; perinde ut arbusculæ maligne crescunt, nisi coloni diligentia silvescentium ramorum corrigat luxuriam. Multi, qv[os] natura ad res maximas dotibus instruxit omnibus, vitiorum contagio, aut etiam desidia ad vulgarem degenerant indolem, & ad deteriora deflectunt. O terq[ue] qvaterq[ue] felices, qvi viris pietate, moribus variaq[ue] doctrina claris instituendi committuntur. Id qvoq[ue] laudis Nostro debeimus asserere. Patris qvidem cura non dum qvatuor annorum puerulus privatus est. Qvam si, exemplo aliorum, sub illius disciplina & in Scholis & Academiis omnia doctrinarum genera imbibentium, usurpare valuisset, cum felicissimi de palma potuisset contendere. Omnes enim admirandæ suæ eruditioñis thesauros doctissimus Genitor tam exoptato aperuisset filio. Sed cum in tenerissimæ pueritiae annis in orphanorum miseriam inciderit, matris etiam (qvæ defuncto Conjuge, Bresla Jenam cum suis se receperat) amplexu paulo post spoliatus; NUMINIS tamen providentia conciliavit qvam plurimos, qvorum ductu fidelissimo in seclandis literis feliciter usus pervenit, qvo non multis licet adspirare. Postq[ue] enim in Tutoris sui, Christophori Schaperi, qvi Serenissimo Saxoniæ Duci Vinariensi a Feudorum fuit secretis, familia per aliquot annorum spatium egerat, iis interea temporis imbutus artibus, qvibus pueritia illius in pertiri debuit; cum Patruo, Cappare Sagittario, Clarissimo Viro, a Numburgensis Scholæ Correctoratu ad Brunopolitanæ Martinensis moderamen vocato, Brunsvigam anno ætatis undecimo concessit. Quomodo ibi se gesserit, non satis valeo exprimere. Certe non Rectoristantum, Patrui nempe laudatisimi, sed & Bartholomæi Schnellii Correctoris, atq[ue] Ludovici Fidleri Subcorrectoris amore ita dignum se exhibuit, ut nihil supra. Nonnullis commilitonum aut socordiæ aut aliorum scelerum generi indulgentibus, ipse rerum suarum, plaudentibus omnibus, fategit. Judicatu autem est difficillimum, utrum Præceptores, omni doctrinarum laude aliosq[ue] instituendi artificio spectatisimi, majore studio humanitatis artes proposuerint, an ille arripuerit. Nihil certe isti docuerunt, qvod ex eorum ore mente flagrantissima non exceperit, fræno potius qvam calcari indigens. Cumq[ue] nullus sine linguis Latinæ scilicet atq[ue] Græcæ, adminiculo in doctrinarum studiis feliciter versari posset, illas ita sibi reddidit familiares, ut nihil elegantiarum in viridariis suis tenuerint, cujus ipse non factus fuerit particeps. Sive enim ore, sive calamo animi sui sensa exprimeret, Tullii & Maronis, Demosthenis atq[ue] Homerij geminas representavit. Simili facilitate ceteris artibus, qvarum cognitio Scholasticæ pubi est proficua, navavit operam, Magistrorum desideria longissime superans. Multi juvenum paulo ultra primi tirocinii rudimenta progressi, nescio qva imaginaria eruditioñis persuasione turgidi, Præceptores floccipendunt, Academias crepant,

B

impe-

impetuq; et temerario cruda in illas protrudunt studia. Ejusmodi intemperie nostrum haud agitarunt Sagittarium. Suis enim Doctoribus constanter adhaerescens qvo plura didicerat, eo majore flagravit cupidine diutius eorum incumbendi dogmatibus. Inde omnibus tam habitus est carus, quam qvi carissimus. Patrui primis in eum amor paterna indulgentia fuit mollior. Cæterorumque Collegarum affectus tanta eum complexus est benevolentia, ut in filium esse singularior non potuerit. Audire profecto istos mihi videor ea suos discipulos ratione alloquentes: Osi omnes vestrum Sagittarii essent simillimi. Id si fieret, qvantæ voluptatis nobis esset in vestro versari ordine? Vestiarum mentium institutio melle dulciores nobis pareret delicias. Agite Sagittarii exemplum semper vobis ponatis ob oculos. Si vos lateat modestiae colendæ ratio; ejus rei speculum Sagittarius vobis esse poterit. Si utiliter in literarum studiis velitis procedere; Imitemini Sagittarium. Si Parentum, si Præceptorum, si Hospitum, si Patronorum vobis conciliare gestiatis benevolentiam; vestigia legatis Sagittarii. Si eruditio veræ metam cupiatis contingere; præeuntem seqvamini Sagittarium. Qvod eo ferme modo Magistri suos ad egregiæ laudis studia cohortati fuerint, verisimile judicamus. A Scholasticis meditationibus ad Academicas progredior. Non pauci, quamdiu in Scholis trivialibus & Gymnasiis commorantur, Parentum atque Magistrorum desiderio egregie satisfaciunt, modestiae, temperantiae, sedulitatis, aliarumq; virtutum laude omnibus commendatisimi; In Academicæ autem civitatis recepti ordinem, quasi pestilenti qvodam fidere afflati fuerint, omnes pristinæ continentiae limites transgrediuntur. Ab ejusmodi μεταμορφώσεως morbo Noster fuit alienissimus. Qvam enim semel bonitatis viam a prima pueritia calcare cœperat, eam & in inclita Salana, cui unde viginti natus annos se tradidit, tam magna tenuit constantia, ut neq; voluptatum deliciis, neq; rigidoris fortunæ vehementia ab ea potuerit abstrahi, nihil foedius esse judicans, quam impuris manibus, ceu inultorum est perversitas, in Sanctæ Theologiæ versari studiis, qibus animi nervos atque contentiones dudum consecraverat. Qvod si quis unquam ea sapienter est auspicatus, certe noster est Sagittarius, cum istis nihil habens commercii, qvi minus circumspete in illius sanctuaria volunt irruere. Egregiis progressibus in Ecclesiæ salutem isti operam navare complures potuissent, si meliora suadentium voluntati potius, quam aut suis aut aliorum ineptiis locum voluissent relinqvere. Certe sunt, qvi Theologorum nomen se conseqvi posse opinantur, modo ad populum publicis in conventibus conciones habendi rationem te- neant. E qvorum numero homines in Academias si perveniant, nihil agunt aliud, quam qvod ad scopum istum pro suis qvidem opinionibus via ducat brevisima, facillima. Longe melior mens nostro fuit Sagittario, non ignaro, summam esse S. Theologiæ amplitudinem, non adeo angustis limitibus includendam. Profecto scientiarum est regina, qvæ cæterarum artium ministeria habet necessaria. Domina est, cui Musæ cum cæteris disciplinis ancillarum & pedisq; varum instar inserviunt. Verbum DEI ager est, in quo latent innumera doctrinarum semina; agricola ergo reqviritur, qvi excitet ea inq; aliorum usum asidua colligat diligentia. Est coelum quamplurimis enitescens sideribus; opus igitur est tubis, oculisque armatis, qibus ea videas. Est fons, e quo non uti canis e Nilo, uti Diogenes manu, sed situlis aquam in profundo latitantem haurias. Id accurate Sagittarius perpendens, omnium doctrinarum fuit cupidissimus, qvas suo desiderio cognovit conducibiles. Linguarum artiumq; qvas in Scholis sibi reddiderat familiares, amorem nunq; vani depositus, in id incumbens, ut illarum notitiae singulis diebus accessiones fierent. Hebraicæ imprimis & consanguinearum culturæ ingenti fuit deditus cupiditate, nullis parcens lucubrationibus, ut eam istarum consequeretur cognitionem, qvæ fructuosæ divini codicis lectioni posset sufficere.

Ne-

Neque segniorem se præsttit in historiarum evolutionibus, quarum intelligentia  
 apprime utilis censetur omnibus, qui ad Theologiæ cultum animum adjiciunt.  
 Quid dicam, quæ cura, quæ sedulitate, quæ vigiliis Philosophiæ studuerit? Plu-  
 rimi in aditu subsistentes atque atrio, primoribus tantum labris ejusmodi doctri-  
 nae genus gustare solent, & extremis modo digitis attingere; Ille autem ipsa adytæ  
 ingressus, inexplebili cupidine istius profunditatem exhausit, inquit succum con-  
 vertit atque sanguinem. Idque cum in finem, ut non modo convenientem  
 in divinarum literarum tractatione ordinem servare, sed & eo felicius Sophista-  
 rum sycophantias solvere valeret. Non alio ense in obtruncando Goliathi capite  
 imperterritus ille adolescens, David, usus esse legitur, quam quo adversarium de-  
 victum ante spoliaverat. Nec incertæ victoriæ spem milites possunt concipere,  
 si istius armaturæ usum probe calleant, quam hostica phalanx in aliorum oppugna-  
 tione adhibere solet. Ea enim ratione omnes horum machinas salutariter pos-  
 sunt eludere, suisque telis illos prosternere. Cumque hæreticorum Principes non  
 aliud armorum genus habeant, in quo plus ponant fiduciæ, quam quod in Philo-  
 sophorum officinis est fabricatum; nemo cum illis feliciter potest congregari, nisi  
 & eodem contra illos se munire valeat præsidio. Hujus autem qui sunt compo-  
 tes, omnia illorum tela non impavidis tantum mentibus excipere, sed & summa in  
 eosdem felicitate retorquere, tandemque exhibito Scripturæ S. gladio eos ita pos-  
 sunt confidere, ut se superatos esse vel turpi silentio fateri cogantur. Valeant igit-  
 tur, valeant, inquam, qui Philosophiæ dogmata e Theologorum Scholis exulare  
 jubent. Id si fieret, in eandem Ecclesia redigeretur miseriam, in quam olim Isra-  
 eliticus incidit populus, cum hostium incursionibus premeretur, fabrilia nequa-  
 quam habens ministeria, a quibus armorum procuratio adversus tanta vitæ fortu-  
 narumque discrimina expectari potuisset. Quid est, quod DEUS optimus ma-  
 ximus Pauli potius, quam alius Apostolorum, opera in convertendis eruditissi-  
 marum gentium animis uti voluerit? Nihil inepti proferam, si dixero, ideo id  
 esse factum, quod humanarum scientiarum ille fuerit peritisimus, quarum cogni-  
 tione reliquos caruisse constat. Et quorusvisque in Ecclesiæ Christianæ anna-  
 libus tam est hospes, quin cognoverit, quantum emolumenti e profanæ literatu-  
 ræ notitia DEO sacratus ordo perceperit, quamque incredibile damnum ex e-  
 jusdem ignorantia in eum redundaverit? Profecto quotiescumque DEUS illius  
 splendori tenebras offundi passus est, liberalium quoque artium lumen caligine  
 submersum esse novimus. Revocate tantum vobis in memoriam proximæ bar-  
 bariei sub impurissimis Monachis turpitudinem; Nonne simul religionis puritas  
 pessimis contaminata est maculis? Nonne superstitionis humanæ deliria ante-  
 ponebantur divinæ veritatis sapientiæ? Nonne plus admirationis in coecuenti-  
 bus stolidi populi animis excitabant vanissimarum inceptiarum glaucomata, quam  
 sacrarum Scripturarum dogmata? Imo, hisce neglectis, illa ubique gentium re-  
 gnabant, pro divinis habita oraculis. Contra ea quæ docunque DEUS Eccle-  
 siæ statum floridissimum esse voluit, humanitatis quoque artibus elegantiae vigo-  
 rem asseruit. Ejus rei superiorum temporum historię luculento esse possunt te-  
 stimonio. Cum enim NUMEN benignissimum constituisse Megalandri Lutheri  
 ministerio Romanorum Pontificum dispellere tenebras plusquam Cimmerias, &  
 sanctissimi verbi sui lucem in Ecclesiæ Christianæ concionibus iterum accendere;  
 nitori suo prius artium profanarum, ex orco quasi revocatarum, cultum restituit,  
 atque literarum humanarum studia, quæ incultu atque socordia quam diutissime  
 torpuerant, reflorescere jussit. Terque igitur quaterque felix prædicandus est  
 Sagittarius, quod sine humanarum scientiarum notitia divinæ sapientiæ confido-  
 rationem noluerit suscipere. Ut autem eo salubrius illarum sibi conciliaret gratia-  
 am, Ducibus usus est Viris, propter omnifariæ eruditioñ excellentiam in poli-  
 tiore

tiore orbe celeberrimis, Paulo nempe Slevogto, Johanne Michaeli Dilherro, Philippo Horstio, Daniele Stahlio, Johanne Zeisoldo, Philologiæ cum sacræ tum profanæ, ut & Philosophiæ Doctoribus felicissimis, qvorum *ān̄goōō eis* admirabili auscultavit solertia. Multi in Academiis varios consumunt annos, vix ullam publicorum Præceptorum sibi comparantes cognitionem, tantum abest, ut de eorum laboribus rationem possint reddere. Hos si rogites: ecq; vid hic vel ille præcedentium mensium decursu publice privatimq; egerit? qvæ præcepta in Studioſæ juventutis commodum explicaverit? qvam materialiam publicis velitationibus examinandam proposuerit? Hos, inqvam, ea si rogites, omnium itarudes deprehenduntur, ac si alio sole calentem orbem incoluerint. Quid autem Sagittarius? Non tam nomine, qvam reipsa fuit Studiosus, cunctas laudatissimorum Professorum prælectiones tanta frequentans diligentia, ut major neq; expectari neq; optari potuerit. Profecto qvæcunque illi five publicis in auditoriis, five privatos intra parietes, exposcebant, non auribus tantum, sed & calamo excipiebat, excepta domi repetebat, repetita memoria fideli custodiebat, custodita facillimo reddebat ore, qvotiescunq; vel in conflictibus disputatoriis, vel in Præceptorum tentaminibus, vel in familiarium colloq; viorum exercitiis de iis differendi dabatur occasio. Unde factum est, ut singulis admirationi fuerit mirificæ. In quibus præcipuo ponendus est loco excellentissimus *Dilherrus*, tum temporis Academiæ illius optimæ, postea vero Norimbergensis, qvin & totius orthodoxæ Ecclesiæ decus incredibile. Qvo enim iste fuit animi acumine, statim perspexit singulares Sagittarii nostri dotes, rebus magnis idoneas; cognovit & minime qvotidianam multiplicis doctrinæ cupidinem, cum morum venustate conjunctissimam. Ideo qvicq; inaudita eruditioñis laude, qvicq; inusitata apud alios gratia, qvicq; lectissimorum librorum copia, qvicq; amoris infucati promptitudine valebat, nostro pollicebatur, talem saepenumero erga eum adhibens vocem: *Utere me & meis*; neq; promittebat ea saltem, sed ipso etiam opere liberaliter præstabat, præter innumera alia id qvoq; beneficii illi conferens, qvod de gratissimis rebus duplii vice in publicis congressibus disputantem præsidio suo muniverit. Vidimus hucusq; in liberalium artium palæstris versantem Sagittarium. Audiamus etiam, qvalem in Theologorum Acroateriis se exhibuerit. Osi omnis eloquentiæ flumine jam possem inundare, & de re gravissima qvam optime dicere. Sed cum ea virtus e rivulis meis non possit effluere, id qvoq; agam pro ingenii mei modulo. Exsplendescet eo tempore Salanaceberrima ejusmodi Theologiæ Doctoribus, qui rutilantium instar fidetur universum Ecclesiæ orthodoxæ orbem cœlestis doctrinæ radiis illustrabant, Johanne scilicet Majore, Johanne Gerhardo, Johanne Himmelio & Salomone Glassio, qvorum vel nuda nomina, ceu omnium titulorum præconiis excellentiora, feræ posteritatis soboles celebrabit. Quemadmodum vero iis nihil deerat, qvod vastissima Theologicæ Sapientiæ amplitudo in ambitu suo possidet; Ita etiam Noster omnem operam, curam, industriam, cogitationem, mentem denique omnem in eo locavit, ut salutariter hauriret, qvicq; ex uberrimis horum Gamalielum fluminibus promanabat. Noverat enim, qvam noxiū esset & periculosum, sine probatis Ducibus Theologiæ studium aggredi. Qui Oceanis fluctibus sine periti naucleri regimine navem suam committere audierunt, in scyllas facile & charybdes incident, cum præsentissimo naufragii discrimine, marinorum monstrorum certafuturi præda. Parili modo qvi absque ingenii Præceptoris gubernatione rebus incumbunt Theologicis, aut monstrorum fiunt ludibrium, aut ipsi monstra pariunt in summam Ecclesiæ

per-

perniciem, ceu pessimorum hæreticorum exempla testari possunt. O felices, qvi a tali temeritate cum Sagittario nostro absunt qvam longissime. Qvorum scientia singulis Christianis est necessaria, a teneris pueritiæ annis ille dicit, singulos dies, ut primum legendi facultatem adeptus est, sacrarum literarum lectione incipiens atqve finiens. Qvæ autem Theologum scire interest, e laudatis cognovit Doctoribus, qvocunqve illi præiverunt, laudabiliter secutus. Sive enim fidei articulorum seriem eleganti methodo enuclearent; sive libros Biblicos interpretandi artificium explicarent; sive antiquitatis Ecclesiasticae singularia explanarent; sive hæreticæ multitudinis sophismata confutandi rationes demonstrarent; sive dubiarum qvæstionum laqveos explicarent; sive in publicis eruditorum congressibus de magni momenti rebus disputarent; sive ad populum sacris e suggestibus dicendi modum declararent; sive alia in Studiosæ juventutis commodum propinarent, semper præsentem habuere Sagittarium, non somniculosum, sed adeo industrium, ut omnes in sui amorem, qvin & admirationem pertraheret. Sicut enim qvam plurimis præcipuorum commilitonum eruditionis palmam non dubiam modo faciebat, sed etiam præripiebat, majore enitescens laude, qvam æqvo animo illi ferre poterant; Ita etiam Doctoribus voluptatem afferebat incredibilem, neqve minorem aliis, qvorum vel amicitia, vel patrocinio fruebatur. Erant, qvibus Studiosæ juventutis ornamentum audiebat; Aliis Praeceptorum gloria; omnibus autem ingens familiæ decus atqve splendor lucidissimus. Horum aliqui felicem prædicabant Patrem, e cuius sangvine tam excellens prognatus fuerat filius. Imo ad eum, qvasi adhuc in vivis existeret, ejusmodi verba dirigere videbantur: Salve eruditorum qvondam lumen splendidissimum. Qvod novus Phœnix e Phœnicis prodeat cineribus, veterum credidit supersticio. Nos citra ullius fabulæ vanitatem asserere non dubitamus, qvod ipse revivixeris dum mortuus, vel potius superstitem reliqueris filium tui simillimum. Hujus efficit virtus, ut mortem tuam moderatus feramus. Nam qvicqvid rerum egregiarum tenuisti, ille possidet. Ingenio tu multum valuisti, ille plurimum, eruditionis tuæ gloriæ si non superans, tamen æqviparans, certe post breve spatium æqviparaturus. Eloquentiæ tuæ virtus atqve decor in illo residet; Verba enim papaveræ atqve fæmo sparsa reddit, & qvicqvid loquitur atqve scribit, apes floribus atqve nectare complere censeas. Honoris templo, in qvibus non ultimam occupasti caveam, ipsi aperientur. Scholæ illius sunt cupidissimæ, qvæ tibi plurima accepta referunt beneficia. Academiam exornabit, cui tuæ laudes fuere decori. Imo in illa Ecclesiæ consendet culmina, ad qvæ tu adspirare non potuisti. O te felicem. Nihil enim fortunatus illo potest esse Patre, cuius gloriam filius virtute antecellit. Colligi inde potest, qvam acceptus omnibus fuit Sagittarius. Qvos supremi NUMINIS providentia arduarum rerum fastigio destinat, in minimarum administratione prius exercere solet. Sic nauta ante in tranquillis lacubus, portibus & littoribus navem agitat, qvam Oceanis tempestibus committat. Et nemo militum belli dux renunciatur, nisi aliquandiu gregarii aut centurionis partibus bene functus fuerit. Ita Noster non cursu aut saltu, sed gradibus ascendit ad Theologicæ dignitatis altitudinem. Summorumqve Theologorum, Johannis Fœrsteri, Georgii Weinrichii, Christophori Helvici, Vincentii Schmuckii, Pauli Tarnovii, & aliorum secutus exemplain pulverulento prius Scholarum statu, qvam aut in Academica aut in Ecclesiastica luce est versatus, inepti populi sinisteritatem neqvaqvam curans, qvi Scholasticæ pubis institutionem vilissimis laboribus annumerat. Dispiciebant Curiensis reipubl. Patres anno epochæ Christianæ

post millesimum & sexcentesimum quadragesimo primo, quem Gymnasii sui Correctorem constituerent; & statim Sagittarius, quem & Dilherri literae & aliorum suffragia de meliore commendaverant, judicatus est dignissimus, cuius fidei tam utili negotium demandaretur. Cumque id X. Cal. Novembris hilari- ter suscepisset, dici non potest, quanta solicitude, quantis conaminibus, quanto omnium applausu gesserit. Siqvidem concordiae cum Collegis studio, mirifica juventutis commissae mentes formandi facilitiae, incredibili erga Superiores modestia, magna que singulis inserviendi promptudine, omnium animos ita sibi devinxit, ut illius opera atque consuetudine frui quam diutissime desideraverint. Verum talibus votis DEI optimi voluntas noluit subscribere. Nondum enim biennii spatium ibi ille compleverat, cum Jenam ad urbanæ Scholæ moderamen, decenti facta vocatione, redire juberetur. Quam ægre Curiehæs in tam prope- rum recursum consenserint, quamque libenter eum ad amplioris provinciæ admi- nistrationem sibi retinuerint, inde potest intelligi, quod Ephori munia, Henrici Teubelii, cuius paternum in se amorem senserat, obitu vacuefacta, committere ei anno quarto & quinagesimo voluerint. Cui desiderio nequamquam fuissent dediti, nisi talem in Scholastici muneric functione illum cognovissent, qui splen- didiori provinciæ laudabiliter præesse posset. Jenam autem anno quadragesimo tertio redux factus, IV. Cal. Septembris Scholæ fasces tractare coepit, magnam si- bi existimationem promeritus. Apparuit profecto in ampla doctissimorum virorum multitudine, ecquis esset Sagittarius, omnibus primarii Præceptoris par- tibus egregie satisfaciens. Quam tenero discipulos complexus est animo? Quas pro eorum salute sustinuit vigilias? Quanta hilaritate, quanta suavitate, quanta sedulitate illos exacuit, ut optimarum rerum studiis incumberent, primam pietati, modestiæ aliisque virtutibus, reliquas autem curas istis tribuentes artibus, quæ ab humanitate nomen acceperunt? Quam candido in Collegas fuit affectu? Quam dulcia diligentia, in poliendis discipulis adhibendæ, non monita tantum, sed etiam exempla illis præbuit? Quam sedulo cavit, ne discordiarum contentiones mutua istorum studia dirumperent? Neque Scholasticæ saltem, sed & Academicæ juventutis commodo studuit consulere. Cum enim mense Mayo anni antea dicti quadragesimi tertii supremam Philosophiæ lauream, insimulque alios docendi pri- vilegia inibi esset consecutus, tali munere se indignum reputavit, nisi & reipsa efficeret, quod publica auctoritate sibi concessum esse cognoscebat. Ideo quoad per ordinariæ Spartæ procurationem potuit, & privatos intra parietes lectissimo Studiosorum numero multiplices exposuit materias, & triplici vice in publice con- certantium corona disputationis egit Præsidem. Sicut autem in Serenissimorum Nutritiorum aulis eminentissimi versabantur viri, quibus ob paternæ amicitiae re- cordationem non parum erat acceptus; Ita etiam eruditio virtutumque sua- rum fama iisdem atque aliis reddebatur commendatisimus. Unde factum est, cum D. Johannes Musæus ab Historicæ atque Poeticæ Professionis sparta ad The- ologicæ functionem progrederetur, ut Principes Serenissimi denominationi, ab inclito Philosophorum ordine factæ, sine controversia adjicerent calculum atque istum vacuefacti muneric Professorem, mense Augusto anni quadragesimi sexti, constituerent. Quod adeptus axioma, dici non potest, quam exornaverit. Multi dignitates autem non virtutum majorum stimulus, sed portus, ubi pingui o- tio delitescere liceat, & non ultra progredi. Horum Noster dissimillimus, ac- ceptum munus theatrum judicavit, ubi se novum Roscium sisteret. DEI gloria & Academicæ ornamentum fuere scopus, quem omnibus studiorum contentionibus præfixit, omnem horam perire credens, quæ non aut meditaretur, aut legeret, aut diceret, aut scriberet. Quanta sedulitate, quanta humanitate lectiones cum publi- castum privatas obiit? Mirifica omnibus insuit dulcedo, ut loquenti mella pro- fluere

fluere viderentur. Qvanta facilitate disputavit? Qvis invenire poterat argutius? qvis colligere nervosius? qvis explicare venustius? qvis vincere felicius? Singulis certe admirationi fuit sanitas & acumen ingenii. Facultatis Philosophicæ regimen repetita vice administravit Decanus tanta fide & circumspectione, qvanta esse solet, cum est præcipua. Alia etiam Academiæ tractans negotia, omnibus animi industriæque nervis contendit, ne aut studiorum honor, aut docentium dignitas, aut reipubl. literariæ bonum quid detrimenti caperet. Quid multa? Omnia eximii Professoris puncta tulit, & non Proceribus tantum civibusque Academicis fuit decori, sed exteris etiam non pauca ingenii monumenta consecravit. Qvæ hactenus de Spartarum Scholasticarum & Academicæ procurationibus fuere dicta, non ita debent accipi, qvod interea temporis rerum Theologicarum meditationes intermisserit. Nemini profecto ejus rei opinio in mentem veniat. Principis alicujus metropolin salutari, non semper recta ad illam contendunt via, sed in itinere etiam notatu digna considerant, & amicorum visitationibus negotiisqve aliquid temporis tribuant; Nihilominus præcipui scopi memores ita illum respiciunt, ut eo melius possint contingere. Idem de Nostro sentiendum esse judico. Cum enim principis sapientiæ aulam non tam adire, qvam incolere gestierit; aliquandiu quidem in ipsa ad illam profectione aliis studere rebus visus est; Nihilo tamen secius propositi sui perpetuam retinuit memoriam, omnis diei partem istius relinquentes considerationibus. Qvin & qvæ ab illo abludere putabantur, ita moderatus est, ut in Theologiæ honorem vergerent. Neqve summos Academicæ Nutritios ea Sagittarii diligentia latuit. Siqvidem Serenissimus Princeps, Divus Fridericus Wilhelmus, Patriæ qvondam Pater optimus maximus, literis ad Augustissimum Principem, Divum Ernestum, post præmaturum Principis juventutis, Friderici Wilhelmi III. obitum, horum Ducatum hæredem, de Sagittario a Scholastica ad Academicam Spartam vocando exaratis, talia addidit: *Pergat modo Sagittarius sancta tractare studia, se illius in Theologicis negotiis operam suo tempore certo certius esse usurpatum.* Qvod sapientissimus Princeps tum temporis futurum esse divinavit, paucis annis post reipsa contigit. Cum enim D. Enochus Himmelius ab Orlamundanæ Ephorias administratione, decenti modo invitatus, Cizam se conferret, optimi Principis judicio, eminentissimorumque Ministrorum suffragio Nostrer habitus est dignus, qvi abeundi succederet. Factum id est mense Septembri anni qvinqagesimi primi. Ante autem, qvam Orlamundam peteret, impetrata XIX. Sept. a venerabili Theologorum Collegio potestate, pro consequendis Theologiæ supremis honoribus, in nonnulla capitib[us] non i epistolæ ad Romanos commata lectio[n]em instituit, qvam seqventis anni Februario solemnis sub D. Johannis Musæi XIX. Febr. præsidio habita exceptit disputatio, & demum mense Augusto Doctoris titulus ip[s]i non minus, qvam Christiano Chemnitio, Georgio Berlichio & Justo Sœffingio, in festivissima panegyri collatus, in publicum præclaræ eruditio[n]is eximiaeque virtutis testimonium. Consecutus autem & Spartam & nomen Theologi, summam adhibuit diligentiam, ut spem de se conceptam sustineret. Eam ob causam omnia vigili peregit studio, qxæ demandata sibi esse cognoscebat, non concionibus tantum ad populum habendis, sed cæteris etiam negotiis, qvæ Ordinis sancti capitibus convenient, insigniter deditus. Quid qvod & iis in rebus, qvas præter ordinem expediendas accepit, tam prudenter se gesit, tamq[ue] provide, ut a singulis laude magna efferti debuerit. In qvibus non immerito commemoranda venit Scholæ Salfeldensis lustratio, Serenissimijussu, ab eo laudabiliter anno qvinto & qvinqagesimo suscepta; Neqve minus ædium sacrarum, qvas funestissimum Teutoniæ bellum miserabiliter violaverat, reparatio, ad Principis mandatum in plurimis dioeceseos Orlamundanæ locis, eo moderante, feliciterr facta. Quid dicam, qva industria efficerit, ut Ecclesiæ ministrorum viduis

solamina ne decessent? Ideo non tantum Fisci, qui ab antecessore Himmelio habuit originem, Himmelianus ea de causa dictus, vigorem stabilivit, sed & novi auctor extitit, quem adhuc Sagittarianum nuncupant. Paucis complectar reliqua, omnium ita in se convertit animos, ut nihil magis optaverint, quam perpetua illius cura perfici. Verum non adeo longinqua tanti boni possessio illis obtigit. Sicut enim cæteris muneribus ostensus magis quam concessus videbatur Sagittarius; Ita & Orlamundi carere eo coacti sunt, dum ut vel maxime voluerunt. Cum enim omnibus in negotiis ita ille se gesserit, ut Serenissimus Princeps non potuerit non clementi in eum esse animo; NUMINE sic dirigente, factum est, ut hic consilia cum suis conferens, cui amplissima Superintendentis Generalis, Aulici Ecclesiastæ primarii & Hagio-Synedrii Assessoris Provincia, quam venerandus D. Martinus Caselius beate mortuus viduam reliquerat, committi posset, non alium præcere ei voluerit, quam plurimis in rebus satis superque sibi cognitum Sagittarium. Quam Patriæ Patris indulgentissimi erga se voluntatem cum præter omnem spem & opinionem ille intellexisset, reputatus est facillimum, in quam gravem incidit solicitudinem. Qva aliquantis per sublevatus, Principi obtemperare voluit in suscipiendo Ephori Generalis munere, modo Aulici Ecclesiastæ partes alii demandarentur; Nihil autem humillima tergiversatione cum efficeret, DEI fretus auxilio V. Id. Novembbris anni quinagesimi sextitanæ molis spartam humeris suis imponi passus est. Quanto omnium applausu, lingua mea balbutiens non valet exprimere. Lætabatur Princeps, Virum consecutus, cui animæ suæ committere curam, cuius opera fideli in Ecclesiæ administratione uti posset; Gaudebant Aulæ Optimates, quod tam animosus Nathan imperterritu Caselio succederet; Gratulabatur sibi Sacerdotum Ordo de Capitis adventu perquam hilari; Exultabant cives exoptatum nacti Præfulem; Orlamundi dolorem, quem ex illius discessu ceperant, ejusmodi leniebant fiducia, fore, ut in posterum Sagittarius in tam altum evectus fastigium sibi usui esset incredibili. Ipsa etiam universa horum Ducatum Ecclesia venerabili induita habitu ad illum accedere videbatur, talia verba faciens: Quam me affecerit beati Caselii obitus, dicere nemo poterit. Quoad certe nihil de novi Antistitis successione audii, in luctu jacui & squalore maximo. Cognito autem adventu tuo jucundissimo, omnem animi abjeci ægritudinem, non sperans modo, sed & confidens, talem te mihi futurum, quam saudis meæ cura desiderat. Tu pro incremento meo ages excubias. Tu lingua atque calamo filiis meis cœlestium doctrinarum cupidinem excitabis. Tu Scholarum, quas gremium meum complectitur, saluti prospicies. Tu diutius mihi præceris, quam ullus Antecessorum tuorum præfuit. O me felicem! Neque ea Ecclesiæ spes decollavit, ceu omnium testimonia calculo suo comprobant. Solis quidem calor semper hæc sublunaria foyet & reficit; sed cum ad supremum cœli concedit cacumen, tum radios spargit potentissimos, & omnia perficit, quæ colonorum vota cupidissime expetunt. Parili ratione Noster in eo constitutus honorum apice, omnes eruditioñis prudentiæque vires in Ecclesiæ emolumen-tum, cunctis plaudentibus, exercuit. De illis dicere aggrediens in campum venio, cuius amplitudini dimetiendæ multides non sufficiunt. Commentarii certe res est recensio omnium, quæ præsul noster supra triginta annorum spatium egregie gesit, non proletarii sermonis angustiæ includenda. Paucorum commemoratio quamplurima cogitandi materiam suppeditabit, præsertim Auditoribus, qui optimam singulorum habent notitiam. Quibus literis ille floruerit, ex ante dictis licuit cognoscere. Thesaurus profecto fuit omnis doctrinæ divitiis cumulatisimus, ut nihil fuerit tam abditum, quod invenire, nihil tam intricatum, quod expedire, nihil tam obscurum, quod illustrare non potuerit. Neque tantum eruditioñis, sed etiam eloquentiæ clarae.

claritate fuit præstantissimus. Quem enim non cepit illius dicendi gravitas cum ingenti copulata dulcedine? Non Evangelii modo, sed legis etiam expositio Ecclesiæ Christianæ est necessaria. Alteram qvi negligit, veri Doctoris munere non rite fungitur. Utraqve tamē suos habet limites, qvos qvi transilit, non leviter peccat; probe autem respiciens, omnes boni Pastoris numeros implere est dicendus. Qvod si nullus unquam Sagittarius omnino utriusq; discriminæ in sermonibus suis uti calluit. Terruit enim legis fulmine contumaces; meticulosos autem diuinæ misericordiæ favonio recreavit. Quid autem profuisset tantæ eruditionis facundiæque titulus, nisi virtus sanctitas cum commendasset? Eruditio & probitas non semper eodem gaudent contubernio. Lingua & animus non raro variis modis dissident. Multi nitidissimas scientias moribus collutulant turpissimis. Non pauci plus operæ impendunt sermonis, quam virtus studio, atqve veluti campanæ solo sonitu invitantes ad sacra, Pharisaorum more dicunt, qvæ ipsi non faciunt, statuisque Mercurialibus similes eminus monstrant viam, quam ipsi pedibus non terunt, tantum abest, ut exemplo præcurrant. Ita se gerentes plus damni pariunt Ecclesiæ, quam commodi. De Sagittario autem valde ambigas, utrum excellentior fuerit in doctrina & eloquentia, an in pietate. Qvod Democritus olim apud Diogenem Laertium monuit: λόγος ἐργα σκιά, h. e. sermo operis sic umbra; approbante veritate & ipsius Momi suffragio illi fuit familiatissimum, qvippe qvi non facienda saltem docuit, sed etiam docenda fecit, non tam sermone quam reipsa Ecclesiæ Doctor. Qvodque Gregorius Nazianzenus in epitaphio Basilii retulit: Oratio Basilii erat tonitru, qvia vita ejus fulgur; Nostro etiam fuit optime congruum. Nam morum pietate veluti fulgorans Christianum egit Periclem, animosque suorum auditorum verbis & Spiritus S. officina deponit, ceu fulmine qvadum, potuit percellere. Ut autem illa animi probitas Ecclesiæ salutarior evaderet, prudentiæ indigebat ministerio. Qva si pietas careat, non tam pietatis, quam improvidæ simplicitatis nomine insigniri potest; aut si nimis aspera ejusmodi videatur dictio, cœca est, homini consimilis, qvi oculis destituitur. Talis qvidem ex hominum numero non debet eximi; Rectore tamen magis opus habet, quam aliis regendis, ne a via aberrent, idoneus. Eodem modo aliquem prudentia carentem pii qvidem nomine non defraudabimns; Ecclesiæ autem bono cum posse invigilare, nolimus asserere. Qvo mentis acutine Noster fuerit, e dictis abunde potest colligi. Non enim adeo felice successu juventutis studiapoisset absolvere, nisi illorum moderatricem habuisset prudentiam. Nec absqve ea si fuisset, unanimi omnium applausu, Scholarum, Academiæ, Ecclesiæ que negotiis alibilorum fungi valuisset. Corporum oculi, crescentibus annis, hebescere solent; animorum vero acies plurimo rerum usu longe fit subtilior. Judicetis ergo velim, qvantam Noster perspicacitatem in vegeta ætate constitutus ad muneris supremi administrationem attulerit, qvi in juvenilibus annis tam acuto fuerat ingenio. Illa usus duce, non tantum in divini verbi expositione, sed & negotiorum procuratione fuit felicissimus. Cum ingenti hominum multitudine innumeras ob causas debuit agere, non plebejis modo & mediocribus, sed etiam eminenti honorum dignitate enitescientibus, qvin & cum summis patriæ Principibus. Qvantatam multiplicium ingeniorum fuit diversitas? Qvam volubiles plurimorum animi? Qanta igitur perspicacia habuit opus, ut sine diuinæ gloriæ detrimento, salva etiam propria auctoritate, cuilibet apparere potuerit? Qvos nudæ veritati locum datus esse judicavit, sine verborum circuitionibus affatus est. Nonnunquam autem, ubi plus ponderis ea ratione se habiturum speravit, Nathanael est imitatus, Davidis animum apolo ita constringentem, ut in sermone ipse sententiam ferre sit coactus. Paucis complectar cætera: cum Apostolo singulorum moribus se attemperans, omnibus factus est omnia, ut omnino aliquos

servaret. Qvas pro Ecclesiæ salute sustinuit vigilias? Qvam fervida in S. Senatus conventu, qvem Consistorium dicimus, cum Capitibus eminentissimis cæterisqve membris, spectatæ in DEUM, Principes, patriamqve fidei religione commendatisimis, iniit consilia, ut illius perennaret in columitas? Qvam solicite in Serenissimorum conclavebus de consimili locutus est materia? Qvam anxie cum celeberrimis aliorum locorum Theologis iisdem de rebus & ore & literarum egit commercio? Qvam indoluit Ecclesiæ calamitatibus, diaboli percipiens malitiam in spargendis alibi erroneæ doctrinæ seminibus? Qvanto laboravit studio, ne & in suæ dioeceseos loca tale malum serperet? Qvam masculine scelerum restitit illecebris, qvæ corruptelarum laqueis incautas mentes irretiunt? Qvam sedulo Sacerdotes ad eandem cohortatus est solertiam, qvos inspectioni suæ NUMINIS providentia credidit? Qvam diligent investigatione, suscepit ea de causa itineribus, scrutatus est, ecqvam muneris sui rationem illi haberent? Qvam flagrant in singulos fuit animo? Qvam amanter audiit vel miseriарum vexatos molestiis, vel de aliarum rerum scrupulis sollicitos? Qvam alacria tollendi illa aperuit remedia? Qvam solerter anniversariis in Synodis, finitis de utilissima materia disputationibus, cum universo ordine de Ecclesiæ emolumento collocutus est? Quid multa? Cunctos optimi Præsulis explevit numeros, efficiens etiam, ut & urbis nostræ, & aliorum locorum tempora nitor, qvem nunc habent, restituerentur. Qva autem animi contentionе Ecclesiæ commodis consuluit; eadem & rei literariæ incremento fuit deditus. Non dicam, qva facilitate plurimorum adfuerit desiderio, qvi laudabilem in literarum cultu ponebant diligentiam, & vel consilio, vel pecuniariis subsidiis, vel alio studiorum genere ab illo juvari cupiebant. Complures certe multis in locis feliciter agunt superstites, qvi post divinæ benignitatis commemorationem ferme unicum salutis suæ auctorem agnoscunt Sagittarium. Id vero tacitus præterire neqveo, qvod incredibiliter de Gymnasi nostri augmento laboraverit. Ingens alumnorum, in primo & secundo ordine locum habentium, multitudo, magnæ auditorii unius angustiæ inclusa, olim conjungebatur, qvibus & illorum damnis & præceptorum molestiis, intellectu est facillimum. Ejusmodi malo ut medicina fieret, effecit Sagittarius, primario discipulorum coetui hoc ipsum, in quo jam versamur, Museum vindicans, atque secundario vetera relinqvens sedilia. Ne autem illa Clasium, qvas vocamus, disjunctio Magistris labores pareret insuperabiles, qva polluit auctoritate, impetravit facile, ut novus constitueretur Præceptor, cui Subconrectoris asseruerunt titulum. Cum qve in istorum numero non paucos eis florere profectibus deprehenderet, qvi altiorum disciplinarum auscultationibus viderentur idonei, in id incubuit, ut certis horis sigillatim instituerentur. Cui consilio non cæteris tantum Scholarchis amplissimis, sed & sancti Sy nedri Proceribus incliti annuentibus, novum constructum est acroterium, qvod Publici aut selectæ clas̄is nomine adhuc venire solet. Qva laborum diversitate ne nimium obruerentur Doctores pristini, extraordinarius est creatus, cui Letorū nomen indiderunt. Qvin & ipse Præsul venerabilis nonnihil hebdomadariæ doctrinæ, in pubis Scholasticæ gratiam enucleandæ, libenter suscepit, & eo usqve summa exposuit industria, donec propter supremæ senectutis imbecillitates domi se continere est coactus. Qvis satis referet, qvantum Scholastica Bibliotheca illi debeat? Qvam piis precibus permoverit sanctissimæ recordationis Principem, Fridericum Wilhelmum, Patriæ Patrem indulgentissimum, ut munificentissimos ex ærario suo erogaret sumptus, non Præceptorum tantum recens creatorum sustentationi, sed & in Bibliothecæ hujus emolumen- tum impendendos? Qvidqvo de eo etiam perduxerit Optimi hujus Principis animum, ut testamento reliquerit qvatror florenorum Misnensium millia, qvæ & dilatando Scholæ publicæ ædificio & ad paranda Præceptoribus singulis habitacula adhiberentur? Nihil dicam, qvam bene Supremi Scholarchæ partibus aliis in rebus

rebus nunquam non defunctus fuerit; quam provida cum cæteris Collegis Spe-  
ctatisimis inierit consilia de procurandis Scholaſticæ rei commodis, & avertendis  
iis, qvæ illi discriben afferre possent; Qvam paterno Magistris omnibus adver-  
sus malevolorum injurias fuerit patrocinio; quam amabilibus monitis alumnos  
ad egregiæ laudis conamina inflaminaverit; quam sedulo omnem moverit lapi-  
dem, ut illi, post pietatis, modestiæ, aliarumqve virtutum studia, iis incumberent  
literis, a qvibus in patriam universam eximia proficiscuntur decora; quamqve  
diligenter caverit, ne qvorundam temeritas in reliqvorum perniciem radic-  
es ageret. Pauperum qvidem cura ad omnes Christianos pertinet; præcipua  
tamen inde ab Apostolorum ævo per cuncta canæ antiquitatis tempora ad Eccle-  
siæ Antistites est relata. Qvorum in numero fuere multi, qvos incredibilis ege-  
norum miseras sublevandi industria immortalibus extulit laudibus. Ad illos si  
velim beati Præsulis attexere nomen, rem omnium suffragio veritati maxime con-  
sonam sim conaturus. Ecquis enim adeo hospes his in terris est versatus, qvin  
sæpenumero illius erga miseros benignitatem cognoverit? Non possum non ad-  
ducere, qvæ ea de re mihi innotuerint, cum juvenilibus in annis sub Musatum ve-  
xillo hic locorum militarem. Freqvens certe de summa venerandi hujus viri pau-  
peres juvandi promptitudine erat fama non tantum in plebis promiscuæ congressi-  
bus, sed etiam in ejusmodi virorum confessu, in qvos fide omni dignos nulla af-  
fentatiuncularum cadere poterat suspicio. Aliis dicebatur afflictorum patronus  
imo pater. Alii affirmabant, qvod ædes ejus commune miserorum asylum jure  
nominari possent. Alii cum Patriarcha Alexandrino, Johanne V. eum confere-  
bant, cui erga inopes liberalitas Eleemosynarii peperit encomium. Alii dicta suo  
comprobantes calculo, addebant, qvæ nemini non erant admirationi. De iis-  
dem alibi etiam colloquentes audii, cum illius facta est mentio. Ex Academia  
autem huc reversus, ipse non raro potui perspicere, qvæ an ea fando tantum per-  
ceperam. Libertate nimirum donatus ad illius ædes sæpius conveniendi, nihil  
mentis habuisse, nisi ex variis collegissimis indicis, quam paterna erga pauper-  
tate vexatos fuerit animo. O qvanta exulum, qvanta viduarum, qvanta pupil-  
lorum, qvanta variis calamitatibus ad incitas redactorum fuit multitudo, qvos in-  
numeris cumulavit beneficiis? Neque ipse modo tam benignum illis se exhibuit;  
sed aliis etiam ad ejusdem rei studium calcar addidit. Animo mihi nunquam exci-  
det, quam fervidus id e sanctis egerit suggestibus, cum in vicinia pestilentiae malum  
non exiguum hominum copiam interficeret, & apud nos eæ decrecerent facul-  
tas, unde miserorum turba viatum alias parare sibi consueverat. Valde illius pe-  
stustanta pungebat calamitas. Inde in copiosa hominum quamplurimorum, pre-  
ces publicas tum temporis ardentissime frequentantum, concione Apostoli sen-  
tentiam: *Estatote communicantes necessitati sanctorum* (Nehmet euch der heiligen Noth-  
durft an) adeo tristibus & verbis & gestibus, lacrymis subinde largiter fluentibus,  
exposuit, ut tigride rigidiorem & silice duriorem habuisset animum, qui commi-  
ſerationis semina non concepisset. Quid non alibi tentavit, ut eorum miseriæ le-  
nimina fierent? Vos appello, qui in Supremo Principis Senatu de terrarumno-  
strarum salute consilia initis saluberrima; Vos, qvi pro Ecclesiæ commodis in san-  
cto Synedrio agitis excubias; Vos, qui Serenissimorum Principum & Provincia-  
les redditus provido dirigitis moderamine; Vos, qui Præfecturæ hujus jura gravi-  
ter administratis; Vos, qui civium nostrorum curam laudabili geritis diligentia;  
Vos, inquam, appello, nonne tantam beati Præsulis de pauperum sustentatione  
cognovistis solitudinem, ut major esse nequaquam potuerit. Qvam enim fre-  
quentes, quamqve serias vobiscum ea de re habuit deliberationes? Nonne tem-  
plum montanum, vetustate penitus collapsum, illo moderante, in ὁρφανοὶ οὐρανοῖ  
transit, ne amplius graculis, noctuis & vespertilionibus præberet hospitium, sed

D 2 offici.

officina potius evaderet, in qua viva DEI tempora formarentur? Nonne illius svasu menstrua eleemosynarum adhuc durans suscepta est collectio? Nonne multa alia, qvibus recensendis temporis angustia non sufficit, illo auctore, in pauperculorum solatium sunt facta? Qvomodo in publicorum munera administratione Noster se gesserit, editis licuit intelligere. Brevibus jam explicem oportet, qvalem Patrem familias se exhibuerit. Matrimonium iniit anno secundo & q vadragesimo Curiæ Variscorum cum lectissima  
**XXI. Nov.**, virgine, Pauli Reinelii, Xenodochii ibidem Pastoris & venerandi Capituli Senioris gravissimi, filia natu maxima, qvam adhuc DEI benignitate superstitem; ceu matronalis sanctimoniae exemplar omnes viduae non injuria debent respicere. Sicut autem de jucunda utriusque fortunæ socia gratulari sibi potuit; Ita & singularem conjugii sui fecunditatem est expertus, qvinque filiorum & sex filiarum factus pater, triginta trium nepotum neptiumq; avus, atque unius pronepotis proavus. Qvam tenero erga singulos fuit animo? Qvas in salutari eorum educatione curas posuit? Qvam providum, qvam benignum erga generos atque nurus se præbuit sacerdotum? Qva erga reliquam familiam usus est indulgentia? Qvae continentiae, qvae erga DEUM proximumque pietatis exempla præstitit omnibus? Qvam domusejus (Hieronymi ad Heliodorum de Episcopi alicujus ædibus verba usurpare mihi licet) publicæ disciplinæ magistra fuit atque specula? Haec tenus exposita qvi paulo accuratius perpendet, dubio procul in eam veniet opinionem, qvod nihil temporis laudatissimo Præfulti superfuerit, in librorum evolutionibus consumendum, nisi qvibus ordinaria negotiorum procuratio carere minus potuerit. Percepturus autem, qvam vigili manu atque animo variis generis volumina continue versaverit, qvamque multa in Ecclesiæ atque Reipubl. literariæ commodum in lucem ediderit publicam, & in posterum edenda reliquerit, impossibilia me dicere autemabit. Sed cum omnia veritati optime respondeant, viri magni excellentia clarius repræsentabitur. Laborum certe a prima pueritia fuit patientissimus. Annisque crescentibus, non aliam amavit requiem, qvam ex bene transactorum negotiorum conscientia profectam. Perinde ut cœli corpora rotatu volvuntur perpetuo, & solis cursus semperterni motus agilitate fit alacrior. Unde qvicquid temporis tor laborum publicorum expeditio non consumebat, non alii rei magis, qvam literarum meditationibus consecravit, somni etiam capiendo maxime parcus. Nihil jam afferam de annotationibus ad Arnoldi Clapmarii de Arcanis rerum publicarum libros ab eo editis; nihil de dissertationibus Academicis sub titulo Jenensis Otii in unum volumen ab eo redactis; nihil de animadversionibus Joh. Michaelis Dilherri in Canticum Canticorum ab eo evulgatis; nihil de Sacra Scriptura vernacula cum Viti Diterici summariis & Josephi Vierlingii in singulorum librorum capita præfationibus, ab eo usum publico redonata; nihil de aliis libellis in teneræ juventutis fructum ab eo diverso tempore compostis. Id autem omnino in memoriam est revocandum, qvod inexplebili studio in Lutheri Scriptis ab interitu & oblivionis injurya vindicandis versatus fuerit. Agitets modo, qvanta industria hujus Megalandri Operibus, ipso curante, hic Altenburgi multo copiosius & distinctius, qvam olim aut Wittebergæ, aut Jenæ, aut Islebii, editis, impendenda fuerit; quantam cætera desideraverint solertiam, qvæ adhuc in hæredum delitescunt scriniis, conspectu omnium digna, scilicet ejusdem Theandri epistolæ in tres Tomos serie eleganti distributæ; Lutherus innocens; Logica Sacra; Qvæstiones Biblico-Historicæ a mundo condito ad templum Salomonis, a templo Salomonis usque ad natum Christum, a nato Christo usque

usqve ad ejus ascensionem, a Christi ascensione usqve ad nostra tempora; Tractatus de sancta ignorantia; de numis bracteatis, ut & alia qvamplurima. His certe deliciis ille totius vitæ amaritudines reddidit dulcissimas. His oblationibus senilium tædiorum molestias diluit. Ejusmodi rerum studia cum istis copulavit meditationibus, boni Theologi titulum qvibus sibi promeruit. Ut autem illius lumen fieret splendidius, multiplies a prima infantia per omnem ætatem usqve ad vitæ terminum sustinere debuit calamitates. Nihil enim aliud, qvam varia miseriæ genera per tentationes, qvæ cum cæteris mediis Theologum efficere dicuntur, Lutherum intellectuisse, credimus. Qvod si Christianus Crucianus, ut iterum venerabilis ille pater loqui amat, & nullus isto nomine gaudere potest, nisi afflictiones toleraverit qvamplurimas; multo minus veri Theologi laude celebrabitur, qvi in patientiæ gymnasio molestiæ disciplina non probe exercitatus est. Innumera morborum genera miserorum affligunt animos, qvi salubria a Theologo expectant remedia. Nisi ergo teneat, qvo sua vulnera curaverit medicamento, imprudentis Medici consimilis plus danni qvam utilitatis ægritudini pariet. Inde NUMEN sapientissimum compluribus eos incommodis & difficultatibus afficit, qvibus Ecclesiæ curam vult committere, qvo circumspectius afflictorum querimoniis respondere valeant. Hujus rei veritatem tot corroborant exempla, qvot celebriorum Theologorum nomina antiquitas coluit, & nostraætæ adhuc veneratur. In illorum numero beatus Præsul si non præcipuum, a præcipuo tamen non longe remotum obtinuit locum. Qvam variis enim adversæ fortunæ ludibriis ejus vita fuit exposita? Qvibus tempestatum fluctuumqve turbinibus miseriæ multiplices in eum irruerunt sæpiusime? Adinodum difficili partu in hanc lucem editus est Nicolaus Hunnius, Lubecensis Antistes & universæ Ecclesiæ Christianæ qvondam lumen fulgdissumum. Siquidem castissima ejus genitrix diutino laboriosi puerperii nixu ad octavum usque diem miserabiliter conflictata, tandem DEO opitulante, præter omnem expectationem edidit filium, qvi tam clarus evasit Theologus. Qvam lacrymabilis Nostræ in vitam fuit introitus? Qvæ tum temporis vitæ discrimina subiit? Immortalis memoriæ Princeps, Johannes Fridericus, Saxonæ Elector magnanimus, cum aurei coloris in dorso cruce, insigni futurarum calamitatum ab eo toleratarum omnine, e matris provenit utero. Noster ipsam potius crucem, qvam crucis effigiem, cum nasceretur, in hanc lucem attulit, moribundo qvam viventi similius. Spiritum enim trahebat, sed prudentissimarum matronarum sagacitati vix ac ne vix dignoscendum. Leniter apertos habebat oculos, sed quasi in propinquæ mortis somnum declinaturos. Tanta profecto natæ pueruli fuit infirmitas, ut omnes vitæ illius spem abjicerent. DEUS autem, qvi in Ecclesiæ salute in eum volebat manere superstitem, ostendebat, qvid posset efficere, cum nulla salutis consilia inire posset hominum imbecillitas; Præter omnem enim opinionem e mortis faucibus quasi creptum eis impertiebat viribus, ut denuo propemodum vivere inciperet. Neqve eo tamen modo vitæ magis, qvam multiplicis miseriæ generibus, ipsa morte molestioribus, concessus esse videbatur. Nam qvid lucretiosius accidere potest, qvam in prima vitæ teneritate parentum orbari providentia? In quantas angustias tam infelicium filiorum redigitur infantia? Qvibus periculis eorum obruitur pueritia? Qvid anxietatum istorum adolescentiæ est devorandum? Res meridiana luce clarius nullo eget testimonio. Qvibus ita se habentibus, nemo non intelligit, qvam duro vitæ initio & progressu Noster usus fuerit. In patre si qvidem jacturam fecit anno seculi hujus vigesimo primo, nondum qvatuor annos. XXI. April. rum puerulus; matris autem cura privatus est biennio post, cum sextum curriculi sui annum neqvaqvam explevisset. Conjecite ergo, qvæ afflictionum ferre debuerit onera, anteqvam ex ephebis excesserit, ea imprimis tempestate, qva truculenta Bellonæ rabies asperrimo furore tumultuabatur? Qvas difficultatum mo-  
lestias

Iestias in literarum palæstris sustinuerit ob curtam rei pecuniariæ supellecitem  
Qvods enim & amplissimarum possessionum hæredibus plurima, qvæ non pa-  
rum displicant, sunt toleranda, juxta Poetæ sententiam :

Multa tulit fecitq; puer, sudavit & alsi,

, qui velut optatam cursu contingere metam;

Longe major profecto fortunæ injuria illos affigit, in qvorum sinum aureus im-  
ber minime depluit. Qvas, virilem ætatem auspicatus, in Scholasticarum provin-  
ciarum administrationibus exantlavit molestias? Qvas sensit ægritudines in Aca-  
demici muneris functione? Qvas tandem passus est injuriarum contumelias in  
Ecclesiastice dignitatis enectus apicem? Cum diaboli enim tyrannide & impro-  
borum hominum malitia bellum gerunt, qvicunq; fideliter Ecclesiæ curant ne-  
gotia. Et qvo sublimiore eminent potentia, pro qvorum salute debent agere vi-  
gilias; eo majoribus premuntur periculis. Qvanto sanctius igitur, qvantoq; ve  
alacrius optimus Præful studuit divinæ voluntatis jussa exeqvi; tanto majora ter-  
giversantium odia cum variis calumniatorum machinis sibi accumulavit. In  
qvantam incidit tristitiam ob tot Principum discessum, qvibus qvamplurima in-  
credibilis clementiæ pignora debuit? Qvanto mœrore complurium Procerum  
prosecutus est obitum, qvorum vita Ecclesiæ pariter & Reipubl. fuit saluberrima?  
Qvam periculosis morbis sæpissime correptus est? Qvid amaritudinum suavis-  
simi conjugii dulcedo ei peperit? O qvoties alia malorum genera in eum fecerunt  
impetum? Certo certiora enim cognovit, qvæ & sæpen numero in ore habuit, &  
in sui memoriam freqventer in aliorum albo inscrisit, qvod DEUS bonum vi-  
tum non habeat in deliciis, sed experiatur, induret sibi qve ipsum præparet. Sic-  
ut autem omnibus in malis invicti animi robur atq; magnitudinem præ se tulit;  
Ita & de præsentissimo DEI auxilio nunquam non gratulari sibi potuit. Ille pue-  
rulus vitæ duritiem ei emollivit. Ille optimorum virorum patrocinia ei conciliavit,  
qvorum studio e magna rerum penuria potuit emergere. Ille malevolorum ei  
constructas sycophantias dissipavit. Ille inter innumera capitis discrimina cum  
jussit agere in columem. Non possum non in memoriam nobis revocare, qvod  
perpetua omnium recordatione est dignissimum. Primarium urbis nostræ tem-  
plum, a Pontificiis fundatoribus Bartholomæo consecratum, duas olim habuit tur-  
res, ea ferme constructas ratione, qvam adhuc in duplicitæ Montanæ turri con-  
spicimus. Intra eas interjecta fuit templi porta, supra qvam olim collocatum e-  
rat Bartholomæi simulacrum, anno superioris seculi vigesimo qvinto a præter-  
eunte qvodam molitore, per sumnum nefas amputato capite, turpiter violatum.  
Qvam hominis malitiam DEUS tanta castigavit indignatione, ut conjux ejus pau-  
lo post fetum sine capite, & post hunc etiam caput solum pareret. Altera istarum  
turrium, Præfulis domui proxima, jam patrum ævo acceperat rimas calce iterum  
expletas. Autumno autem anni qvinquagesimi octavi carum fissura præter op-  
tionem major reddebat. Et qvanqvam, nihil inde metuendum esse periculi,  
ejusmodi molium struendarum periti dictabant; Principis tamen jussu paraban-  
tur omnia, qvæ damni istius reparationi, post anni proxime futuri pascha suscipi-  
endæ, inservire poterant. Interea plurimi de Præfulis salute non parum erant so-  
liciti; multis subinde referentibus, qvod ædes suas cum aliis in Johannea sitis mu-  
tare vellet. Illius etiam trium annorum filiolus ante Christi Natalitiæ aliquoties  
christi ingemuit suspirio: Eheu nos miseros, turris ruina imminet! seu ut ipsius  
vernacula sonabant verba: Das Gott erbarm / der Thurm fässt etn! Qvod  
cum venerabilis pater audiret, reliq; objurgabat sobolem, qvod ex illorum o-  
retalia cum hausisse, sibi persuaderet. Idem puerulus XIX. & XX. Februarii,  
qui erant feriæ hebdomadis septima & prima, anni scilicet noni & qvinquagesimi,  
ex incunabulis suis sæpius repetita suspirabat vice: Ach wie flüchtig/ach wie nichtig;  
qvod

quod nos ita reddimus: heu a quam tenui filo hominum pendet incolumitas! Id cum Noster, e Museo ad coenam capiendam veniens, auribus ipse perciperet, scitansque, ecqvistalia pusionem docuerit, e filia cognoscebat, quod ejusmodi canticone aliquando, ut somno ille sopiretur citius, usq; fuerit. Campanula etiam, ad cubiculi sui fenestram affixa, quasi a nonnemine moveretur, instante prima & quarta noctis Dominicæ hora lenem edebat sonitum. Circa undecimam vero vespertinam vigesimi primi ejusdem Februarii, diei scilicet lunæ, seu quod Christianorum sanctitati convenientius est vocabulum, feriæ secundæ accidebat, quod cuncti suis annalibus merito debent inserere. Omnia hactenus non e muliercularum ore, sed e beati Præfatis commemoratione, ejusdem manu consignata, fideliter retuli. Nihil meum est, nisi Latina dictio. Ut autem cæteris major habetur fides, singula eo proponam ordine, quem ipse servavit; imo ipsum potius sua recensentem introducam, nihil immutatus nisi vernacula illius in Latinam recensionem. Audita jam dicti diei vespertina septima, in templo ejusmodi fiebat strepitus, quem afferum duriter conjectorum collisio alioqui solet redere. Autumans autem, adesse forsitan, qui paulo inhumanius fores pulsaret, mittebam, qui eas aperirent. Sed nemo reperiebatur. Cumque post coenam DEI benignitatem cantilena aliquacelabramus, iterum tantus interstrepebat fragor, ut & fenestræ clausæ tabulam repellerem, cognitus, utrum forte nebulae malitia ejusmodi turbas gigneret. Sed nihil nisi silentium apparebat. Paulo post aliarum rerum lapsus efficiebat stridorem; Inducebar tamen, ut crearem, in earum rhombos talem efficere susurrum. Tandem in Museum meum redux afferum projectionem in templo factam audire videbar; nihil autem id curans, concionis sequenti die e commate XV. capit. LII. Jesaiæ & versu primo capit. LIII. habendæ instituebam meditationes. Cumque filius meus natu maximus, Paulus Martinus, matris jussu veniret, rogatusque caussam diceret; se mecum esse mansurum, ne pavore aliquo percelleret, o te miserum, respondebam, adversus lemures custodem; longe melius auxilium nobis Christianis a DEO nostro exhibetur. Ad genitricem vero redditurus cum ipse magnum ex alicuius rei casu provenientem fremitum perciperet, vides igitur, inqviebam, me nullo Iussum esse phantasmate. Cumque reversum mox ipse sequerer, ancilla major, here, ajebat, quid si turris collaboretur? addens: teneræ sobolis dixisse famulam, se lubentia animo pro me velle obire, modo mihi istius ruina mortem non afferret. Cui uxor, Petri, ait, forsitan es consimilis, qui multa verbis est pollicitus, reipsa autem nihil praestitit. Quæ disceptatio leni omnium risu finiebatur. Deinde cum in conclave meum me recepisset, precesque ad fenestram, e qua versus orientalem plagam datur prospectus, facerem, rei alicuius lapsus tanto illas turbabat tumultu, ut non minore metu quam indignatione percitus ad contiguæ partis fenestram procurrerem, experturus, ecquis noctivagus tantarum molestiarum esset auctor. Sed quid tum accidebat? Tribus diversis vicibus lapides cum calces ab uno mixta non modo in templi tabulas, sed & in obversam plateæ viam decidere audiebam. Quo cum oculos meos converterem, & summum turris cacumen se demittere, & ipsam turrim ingenti murmure terribilique fragore ita dissolvi conspiciebam, veluti linteorum convolutorum fieret expansio. Quantus horror meum percutiebat? Metuebam profecto, ne innumera maxima- rum lapidum multitudo ædes nostras penitus obrueret, nosque in eis sepeliret. Sed Angelorum custodia omni interitu nos ita liberabat, ut ne ædificii quidem tegula, neque atrii nostri domuncula, vix quinq; cubitorum spatio a turri remota, aliquid detrimenti caperet. Et licet ingentia saxa terram sic concuterent, ut solo motus fremitu istius janua, sera pensili rupta, uncoque ferreo, cui illa erat applicata, e lignea columnæ extracto, aperiretur; nihil tamen damni ei erat illatum.

„ solo tegmine minutulo excepto, qvod lapidum vehementia contuderat. Ma-  
 „ gni qvoque ponderis campana lapsu suo nihil damni neqve ipsa, quantum  
 „ poterat colligi, accepit, neqve aliis intulit. Ruina tertio horæ undecimæ  
 „ quadrante jam finito facta tantum pulverulentæ calcis disseminabat, ut ejus-  
 „ vestigia multis in locis postea cernerentur. In qvo horrore cum familia &  
 „ vicinis meis fuerim, conjectura aliquia cuilibet licet asseqvi. Ipse autem, qui  
 „ oculis meis tam propinquaque vitæ discrimina vidi, nullatenus neqve lingua e-  
 „ um efferre neqve animo satis intelligere valeo. Inclytus Serenissimi Prin-  
 „ cipis Cancellarius paulo post ad nos conveniebat. Idem amoris genus ex-  
 „ hibebant nobis Collegæ mei dilectissimi cum bonis aliis compluribus. Qui-  
 „ bus benevolentiae erga nostre stationibus nox ista usque ad secundam matu-  
 „ tinam consumebatur. Post septimam vero sequentis diei horam in publica  
 „ concione solemnnes DEO agebamus gratias, Psalmum Davidis nonagesimum  
 „ primum cum aliis hymnis eucharisticis modulantes. Talia optimi Præfulis  
 verba quis non obstupescit? Qvis sine animi commotione percipit? Cum  
 vespere Matthiæ Apostoli anno supra millesimum & quingentesimum vi-  
 gesimo nono Breslæ, metropoli Silesiæ, turris templi Elisabethani, tempesta-  
 tum impetu convulsa, sine ullaullius læsione esset delapsa, restauratam postea  
 tali ornarunt epigraphe: MIRABILIS IN ALTIS DOMINUS: additis eti-  
 am sequentibus lineolis:

*Callapsa est turris Siloe madefacta cruento;*  
*Pyramide hac nostra nemo cadente perit.*  
*Nam iussu Domini exceptam (cui gloria soli)*  
*Angelica molem deposuere manus.*

Qvomodo  
turris vicini  
pagi Saræ, hor-  
ribiliter tu-  
multuantium  
ventorum im-  
petu confran-  
cta, sine ullo  
aut hominum  
aut ædificiorū  
damno. XIX.  
Dec. M DC XII.  
collapsa fue-  
rit, tradit B.D.  
Abr. Svarinus,  
Ecclesiæ no-  
stræ Superin-  
tendens t. t.  
Generalis in  
der Wind und  
Wasseresthen.  
P. 93. sq.

Nonne & nos parili modo DEI benignitatem prædicare possumus: MIRABILIS IN ALTIS DOMINUS? Absque illius enim gratia si fuisset, non tantæ molis vehementia penitus essent oppressæ. Verum DEI bonitas Anteriorum ministerio omnem vitæ fortunaru[m]q[ue] perniciem ab illis clementer avertit. Adeoque repetita voce exclamemus oportet: MIRABILIS IN ALTIS DOMINUS; Ingeminantes qvoque illud, qvod inscriptionis instar constructæ altitudini insculptum legitur: GLORIA IN EXCELSIS DEO: Nonne etiam luculenter inde demonstrari potest, qvam carus Nostrer DEO optimo maximo fuerit, quantumq[ue] ejus apud illum preces sanctissimæ valuerint. Illas enim non tantum instante tam feralis casus periculo, sed & alias frequenti servidoq[ue] fudit pectora. Qva admonitus occasione de ultimo Theologicam facultatem consequendi medio, qvod Orationem esse B. Lutherus afferuit, brevibus adhuc agam est necesse. Omnis boni fons est, imo oceanus, NUMEN optimum. Ab illo proficiscitur, qvicquid & veræ salutis commoda largitur & adversæ sortis discrimina propulsat. Sanctis autem uti debet precibus, qvicunque illius benignitate frui desiderat. Pii enim hominis oratio per nubes adipsum DEI thronum penetrat, omnia secum ingenti reducens multitudine, qvæ vitæ nostræ necessitatibus sunt salutaria. Qvoque alacrius aliquis precum studio invigilat, eo certiora utriusq[ue] fortunæ consequitur remedia. Complures & Biblicus codex & alia recensent volumina, qvi salubriter precandi artificium præ cæteris calluerunt. Illis non injuria beati Præfulis nomen conor addere. Profecto si qvis ullo unquam tempore illius assiduitati utiliter studuit, venerabilis fuit Sagittarius, a prima pueritia usque ad extremæ vitæ terminum omnium rerum meditationes sanctis temperans precibus, suisq[ue] viribus neq[ue] vicqvam tribuens. Non est, qvod prolixis id ostendam descriptionibus. Paucorum commemorationem omnem

omnem reddet clarissimam. Precum nixus firmamento ætatis lubricæ flexiones ingenti morum transegit innocentia, atque non quotidianæ eruditioñis ornamenta sibi peperit. Precum beneficio magnorum virorum gratiae se feliciter insinuavit. Precum ope consecutus est, quæ pauci solent accipere. Precum auxilio demandata sibi diversis temporibus munera in DEI gloriam reique literariae atque Ecclesiasticae emolumenlaudabiliter administravit. Precum suppetiis suorum saluti paterno consuluit animo. Precibusque debuit, quicquid boni ex DEI manibus per universæ vitæ curriculum adeptus est. Sicut autem precum pietate prospero actionum suarum successui solitus est prospicere; Ita & illarum levamine aut avertit, aut mitigavit atque superavit, quicquid adversæ fortis asperitas saepenumero in illum molita est, quicquid etiam mali divina providentia ipsius humeris imposuit. Cum tenerimæ ætatis puer præpropera morte non patris modo, sed matris etiam jacturam ficeret, in summas conjectus miserias videbatur. Ad preces autem confugiens ejusmodi recreabatur solamine, quod in ipso moore non mediocriter efficiebat hilarem. Hisce enim gemitibus supremum NUMEN illum esse allocutum, concipiatis: O DEUS, in quas pueritia mea incidit solicitudines? Patre defuncto, mater mihi erat solatio. Jam & illam miser perdidi. Quid incipiam fugiamve, nescio. Qvis vitæ meæ curam suscipiet? Perisse me, dicerem, nisi spes mea in tuo requiesceret amore. Tu orphanorum Pater mihi eris auxilio. Omni hominum destitutus adjumento, Te opitulante, in tantarum difficultatum multitudine magis agam feliciter, quam multi solent, qui felicissimi putantur. Osi. Sed me cohibeo, ne de gratia tua diffidere velle videar. Neque tum saltem adeo flagrantia effudit suspiria, sed & postmodum in vita continuavit reliqua, variis confirmatus documentis, probatoria afflictæ mentis non esse lenimina, quam quæ ex assiduo precum exercitio profluunt. Quid enim præbuit ei contra paupertatis aculeos remedia? devoti animi oratio. Quid arma ei suppeditavit adversas omnes hostium insidias? oratio. Quid varia vitæ discrimina a capite illius repulit? oratio. Quid ei a DEI optimi clementia aduersus cuiuslibet calamitatis impetum ipsiusque mortis horrorem impavidum impetravit animum? nullius laudis præconio sat efferenda oratio. Quibus ita comparatis, cum scilicet B. Præsul non assiduis tantum meditationibus plurimoque ruinusu egregiam divinæ sapientiae notitiam sibi comparaverit, sed & varia malorum genera imperterritu sustinuerit pectore, precumque exercitia tam ardenti coluerit studio, quis optimi Theologi titulum ei non impertiet? Viri profecto summi & de CHRISTI Ecclesia meritissimi egregio consensu illius nomen auro cedroque dignum magnis celebrarunt laudibus, in componendis ardui momenti controversiis plurimum istius tribuentes sententiae. Tantæ existimationis testimonio nobis esse possunt epistolæ innumeræ, arduis de caussis freqenter a compluribus Theologis ad eum exaratæ; nec non publicæ luci redditâ mukorum monumenta, per honorificam illius passim facientia mentionem. Comprobant id etiam principis Saxonorum Theologorum, B. Jacobi Welleri, literæ, ad clarissimum virum, Johannem Sebastianum Mitternachtum, Gymnasii Gerani t. t. Rectorem, postea Cicensis aulæ Nathanem (qui specimen quoddam Philologicum divitiarum Evangelicarum illi non minus, quam nostro dedicaverat) V. Febr. anni superioris sexagesimi tertii scriptæ. Sic enim vir summus in eis, vidi, ait, & inscriptionem. Exsculatus sum amorem tuum, & gaudeo, me Theologo optime merent Dn. Sagittario esse adjunctum. Neque id injuria. Siqvidem fidele illius studium Ecclesiæ orthodoxæ commoda præstítit quamplurima. Quodque Augustissimus Princeps, Augustus Lüneburgicus, quasi divinatione aliquia ei prædictit, fore scilicet, ut magnis aliquando Principibus salutaria exhiberet officia; mirifice singulorum applausu egregie factum est. Qvis enim ignorat, quanta gratia Divus Fridericus Wilhelmus (qui

& post fata clementiam suam testaturus mille florenorum Misericordium munus ei consecravit.) Divus Ernestus, Divus Fridericus, Principes incomparabiles, Patriæ Patres indulgentissimi, cum aliis Saxoniæ Ducibus Serenissimis, eum complexi, quotiesque ipsius opera in lustranda & horum Ducatum Ecclesia & Academia Jenensi celeberrima usi fuerint? Quid multis? Altenburgum nostra sicut inclitam ejus famam grata prædicatione circumferet, eique in gloriæ templo immortale statuet mnemosynon; Ita de illius obitu insolubiliter doleret, nisi NUMINIS supremi benignitate alium consecuta esset Præfulem, qui defuncti virtutes, plaudentibus bonis tantum non omnibus, incredibili reprobant felicitate. BROKII certe adventus resarit damna, quæ SAGITTARII peperit discessus. Brokii adspectus sanavit vulnera, quæ Sagittarii recordatio nobis inflxit. Adeoque intelligimus, Deo optimo sempiternam persolvendam esse gratiam, quod & tamdiu nobis concesserit Sagittarium, & in feliciter mortui locum talem sufficerit Successorem, qui proborum omnium desiderio multiplicis letitiae materiam mirabiliter comparat. Osi ille per multo plurimum annorum spatium nostræ præsit Ecclesiæ, quam Sagittarii vigilancia de illius salute fuit sollicita. Habuit profecto illum longe diutius, quam ullum ex Antecessoribus retinere potuit. Vixit ergo, vixit, inquam, Sagittarius. Sed quid vixisse eum dico? Mortalitas ejus magis finita est, quam vita. Vivit enim, vivetque semper, atque etiam latius in memoria hominum & sermonem versabitur, postquam ab oculis recessit. In laudabili vivit (†) filio, paternorum virtutum hærede felicissimo, de Schola pariter & Ecclesia nostra præclare merito. Vivit in diligentia suæ monumentis, quorum claritas illi perpetuitatem conciliat. Vivit in tot tantisque rebus optime gestis, quibus se ab omni obliuionis iniuria immortalitati dudum asseruit. Vivitque inter innumeras Angelorum beatorumque hominum myriades in saluberrimis CHRISTI amplexibus. Mæta felicitate tali esto sanctissima anima. Nos variis jactamur fluctibus. Tu portum tenes æternamque tranquillitatem. Aulam incolis, quam neque mors appetit, neque vita unquam deserit. Nos contra variis undique & ubique premimur periculis. Salve igitur beatissime Sagittarii. Merita tua semper colemus & venerabimur. De virtutibus tuis aut sermo nobis erit aut cogitatio. Eadem liberis nepotibusque proponemus, ut isti rursus seræ posteritatis, si quæ futura, soboli recenseant. In animis hominum annualumque memoria semper ages incolimus. Tandem ad vos mea convertitur oratio, quorum præsentia hanc panegyrici condecoravit, Mæcenates, Patroni, Fautores atque Amici. Edidistis tam accepta promptitudine non vulgare testimonium, quod Divi Sagittarii memoria animis vestris minime exciderit. Meam quaque tenuitatem singulari affecisti beneficio, pro quo gratias vobis persolvo, quæ pia mente concipi possunt. Obsequia etiam & officia pollicor assidua. Precibus insuper a DEO contendo, velit omnes atque singulos certissimis ornare felicitatibus. Publica tranquillitas, in qua vivimus, sit perpetua, neque formidoloso annorum circuitu, neque sceleratum hominum machinationibus evertatur. Floreat Serenissimus noster PRINCEPS in patriæ salutem quam diutissime, cum Matre, cum Fratre, cum Sororibus Serenissimis & universa Domo Saxonica potentissima. Vigeant eminentissimi Proceres, qui publicis invigilant commodis. Salva sint templi; perennent curiae; vireat schola; affluant cujuslibet ædes omnibus fortunæ secundæ copiis. Donec post putrida mortalitatis tædia in beatorum choro gaudiis æternis perfruamur.

(†) Tale solarium (quod scilicet B. Præfus in valde laudabili viveret filio) nos non parum reficiebat, cum in splendida concione dicerem. Aliter autem res se habet, dum dicta typis exprimuntur. Siqvidem interea temporis optimus ille Filius ad B. Patris amplexum ex hac mortalitate avocatus ingens sui desiderium bonis reliquit omnibus. Fuit

is *M. Paulus Martinus Sagittarius*, Ecclesiastes Altenburgensis atque S. Ducalis Synedrii Assessor gravissimus. Quo clariora optimi Praeceptoris beneficia mihi olim exhibuit, eo cupidior sum grati discipuli animum illius manibus significandi. Cumque jam alia ratione desiderio meo respondere nequeam, ac *lūnā* brevissimis, quoad chartae angustia patietur, vitam ejus delineabo. Editus est in hanc lucem X. Nov. MDCLV. Jenæ, nobilissimo Thuringiæ oppido, quod celeberrimæ Academiæ præbet hospitium, a prima puerioria ducentis ingenii dotes bonæq; mentis ingenuitatem præ se ferens. Inde providissimi parentes summam adhibuerunt curam, ut optimarum rerum notitia quam diligenter imbuatur. Prolixa foret domesticæ institutionis, magna industria factæ, commemoratio. Neque est, quod referam, qua felicitate in illustri Altenburgensem Lyceo fidelium præceptorum doctrinas multiplices imbibet. Norunt id quamplurimi commilitonum, variis in locis Ecclesiæ pariter & reipublicæ laudabiliter inservientium. Imo testantur etiam, quos DEI benignitas adhuc servat superstites, Magistri, insitutæ eruditioñis præconio aliquosque feliciter instituendi dexteritate celeberrimi; scilicet *M. Christianus Funcius* & *M. Mich. Christianus Ludovici*, illustris Palæopyrgici tum temporis Rector atque Conrector, quorum hic, egregie functus aliquot Ecclesiæ nostræ dignitatibus, jam Serenissimo Saxoniæ Duci Cizeni est a concionibus, confessionibus & consiliis Ecclesiasticis, Ecclesiæq; per Episcopatum Numburgensem Superintendens; ille autem Gœrliciensis Gymnasii Rector, Viri de re literaria & Ecclesiæ incremento meritissimi; neque minus *M. Christophorus Henricus Læberus*, qui Aulici Concionatoris spartatum gerens simul Scholasticam juventutem in Classe superiore Philosophorum dogmatum cognitione impertiebat, ab eo autem tempore Theologus cordatus simus Orlamundanæ Diocesis Ecclesiæ singulari vigilantia præfuit. Singuli profecto luculenta reddunt testimonia, quam dulci morum innocentia, quam mirifica optimarum rerum cupidine juvenilem ætatem in schola nostra ille confecerit. Id credere detrectans, laudatissimi Functiones Viales Altenburgenses adeat, quæ asserui, fide magna corroborantes. Eximio autem virtutis doctrinæque ornamento enitescens mense Novembri MDCLXIV. in illum Leucoream abiit, a magno Theologo, *D. Abrahamo Calvio*, *avvoico* atque *curator* cooptatus. Quomodo ibi egerit, brevi recensione non potest exprimi. Omnes profecto diligentia numeros optimorum studiorum amasius egregie implevit, venerandi Patris expectationem non modo sustinens, sed etiam superans. Quid enim eruditioñis præclaræ in auditoriis suis et publicis et privatis Philologi & Philosophi Academiæ hujus inclytæ, quin & Theologi, omni laude celebrandi, Studiosæ juventuti proponebant, ille flagrantissime arripuit, inquit succum convertit atque sanguinem. Unde tanta eruditioñis gloria efforuit, ut non modo in cathedra Philosophica disputationem primo Philologicam de Calendis Januariis, & deinde Ethico-Politicam, suo Marte elaboratas, præsidibus *M. Henrico Baumanno* t.t. Facult. Philos. Adjuncto & Decano, postea SS. Theolog. Doctore & Coburgensis Gymnasii Directore, atque *D. Wendelero* Moral. P.P. mensibus Januar. & Octob. MDCLXVI. sed etiam in Theologica adversus Hugonem Grotium theses Theologicas sub celeberrimi Calvii præsidio (qui in Respondentium indiculo, Tomo primo Bibliorum illustrorum præmisso, etiam Nostri nomen posuit) defendere, quin & XII. Octob. MDCLXVI. supra Philosphia laurea, plaudentibus plurimis, condecorari potuerit. Posthac circa ejusdem anni clausulam Patris jussu Jenam profectus eruditioñis suæ telam studuit pertexere, in consequenda uberiore Philologicarum & Philosophiarum rerum notitia consummatisimæ doctrinæ Viros, *Frischmuthium*, *Bosum*, *Posnerum*, *Gœzium* atque alios feliciter secutus. Plus ultra vero tendens auscultandis etiam Theologis, quorum inclytam famam immortalia de Ecclesia CHRISTI merita perpetuo celebrabunt, miram præstitit industria, *Museo* scilicet, *Niemanno* & imprimis *Bechmanno* ob summam in docendo perspicuitatem cum fide incredibili conjunctam, cuius contubernio quoque & convictum ingenti studiorum suorum comodo est usus. Egit etiam mense Martio MDCLXIX. in publica plurimorum applaudentium concione disputationis de jure naturæ præsidem, & longe plura ingenii excellentis specimina luci publicæ exposuisset, nisi opinione celerioris ad Lycei nostri moderamen illinc esset avocatus. Postquam enim benemeritus illius Rector, *M. Petrus Hertelius*, Ecclesiæ Schmellenensis Pastor & Diocesis Altenburg. Adjunctus Primarius a Serenissimo Principe erat renunciatus, amplissimorum Patronorum suffragiis Noster judicabatur dignus, qui abituriensi succederet. Factum id est XII. Febr. MDCLXIX. plausu bonorum omnium singularissimo. Adeo claram adeptus spar-

Ze 190 ff

) 24 (

tam, dici non potest, quantum exornaverit. Omnibus certe ingenii nervis egregie contendit, ut Patronorum de se expectationem tueretur, DEI gloriam & commissarum Juventutis commodum cunctis actionibus suis scopum praeficiens. Vixeram in discentium condiscipulatu per semestre tempus, cum ille suprema Scholae munia caperet, atque post supra quadriennii spatium ad pedes ejus sedere potui, multiplicibus eodem testimonio, quod optimi Praeceptoris titulum promeritus fuerit. Quam singulari enim prudentia omnibus in negotiis usus est? Quam saviter variarum doctrinarum mella nostris animis instillavit? Quam paterna indulgentia singulos est complexus, atque eos omnium maxime, quos egregiarum rerum cupidissimos cognoscet? Quam alacriter somniculosos exacuit, ne desidiae indormirent? Quam ingenti vigilancia a virtutum via deflectentes in ordinem rededit, vitia potius quam personas insectans? Quam eleganti calamo rarissimas materias eruditorum oculis saepenumero consecravit? Quid multis? nihil reliqui fecit, quod impositae spartae amplitudo exigebat. Quia autem laude Scholastici regiminis administrationi praefuit; eadem & diversa Ecclesiæ nostræ gesit munera, constitutus M. Novemb. MDCLXXXIX Diaconus & M. Jun. MDCLXXXIV. Archidiaconus, & tandem MDCLXXXV. Concionator Cathedralis (Stifts-Prediger) qui more apud nos recepto *κατέχοντας* Ecclesiastes dicitur. Præterea Serenissimi Principis indultu S. Synedrii Alfonso MDCLXXXVI. agere coepit, consecutus etiam MDCLXXXIX. ob venerandi Patris senium & inde profectas imbecillitates Vicarii Ephori Generalis onera, quibus sub hilarem moderni Praesulis, Magnifici Brokii, adventum XXIX Mart. MDCXC. iterum liberatus est. Quanta fide quantoque studio tam varias provincias in Ecclesiæ ac rei literariae commodum administraverit, nemo nostrum est, qui non recenti complectatur memoria. Omnia profecto rerum ingentem tenuit copiam, quæ istis non gerendis modo, sed exornandis etiam & amplificandis necessariae ducuntur. Floruit eximis prudenteris animi dotibus & minime quotidiana variarum doctrinarum peritia; Folluit suavisimi oris eloquentia; Pietatis amantisimus vita sanctimonia representavit, quæ verbis docuit; Laborumque patiens, quicquid temporis publicorum negotiorum procuratio relinquebat, utilium librorum lectioni, & in primis patriæ historiæ meditationibus tribuit. Dumque omnibus prodesse studuit, febri correptus est, quæ ante aliquot septimanas, nempe XXXI. Julii, horam ei attulit supremam. Quanto dolore inopinus ille discessus quamplurimos affecerit, creditu est difficilimum. Nihil dicam de jucunda latorum tristiumque socia, Conjuge dulcissima; Nihil de Matre venerabili, illius solamine contra afflictæ viduitatis molestias feliciter usq; Nihil de unica filia dilectissima, hujusque marito exopratissimo, qui plusquam filiali affectu eum semper prosecutus est; Nihil tandem de Collegis, cum quibus vixit coniunctissime. Civium vero ob illius discessum tristitiam non possum non adducere. Quo ad urbem nostram mihi concescit hospitium, in multis jacturam fecit, quorum vita Ecclesiæ non minus quam reipublicæ valde fuit proficia. Non autem memini, tam multos de alicujus obitu adeo graviter dolere, atque nuper, complures ingentem e præmaturis Nostris fatis cepisse mortitiam, deprehendimus. Quos gemitus, cognita illius morte, ediderunt? Quam frequenti concursu illius cohonestarunt exequias? Quam acerbas fuderunt lacrymas, dum erostris istius recordebatur memoria? Quæ sinceri affectus indicia adhuc significant, dum illius mentio injicitur? Imo Altenburgum nostra insolabiliter ejus feret damnum, nisi futurus sit, qui exhibeat, quæ ab illo ardenter expectavit. Perennem ab ejus calamo speravit vitam, quodque ille in *promisso Chronico* luci esset donatus, quæ nigerrimis ignorantia cineribus sepulta hactenus delituerunt. Nunc, illo defunctori, spe sua se excidisse, lugubriter dolet. Quotidie fit, qui ab illo sudore multo conquisita typis committat. Id si fiet, non amplius, sibi mortuum esse Sagittarium, urbs nostra dicet, sed in doctissimis monumentis post fata habebit superstitem, & sera posteritas illius famam multis laudiibus decantabit. Dab. Altenb. Cal. Octobr.

MDCXCIV.



1017

MC

F.R. 65.

X 212077 D

Z e  
190

# ORATIO PANEGYRICA,

quam  
in

memoriam

OPTIMI quoniam

V

SUMME - REVERENDISSIME  
EXCELI

DN. JOH  
CHRIS  
SAGIT

SS. Theologiæ Dominici  
per Ducatum Altenburgicum  
Vigilie  
Supremi Aulae

Sancti Synedrii Af


ECCLESIA  
LITERARUM STUDI

X. Cal. Mar

primario illustris Pa

M. Joh. Müller

© The Tiffen Company, 2007  
TIFFEN® Color Control Patches  
Centimetres      Inches



ALTEenburgi, Literis Richterianis.

